


Fr. Grunacker Christian Ernst Simonetti

Dissertatio Logica ...


3 : Dissertatio Logica Tertia, Doctrinam Enunciationum exhibens

Berolini: Schelechtiger, 1718


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn815358636>

Band (Druck) Freier  Zugang





Ec-1054.



DISSERTATIO LOGICA
TERTIA,
DOCTRI-
NAM ENUNCIA-
TIONUM

exhibens,
QUAM
PRÆSIDE
M.FR.GRUNACKERO,

DEFENDET

D. 24. Febr. 1718.

RESPONDENS

CHRIST. ERNEST. SIMONETTY,
BEROL. MARCH.

IN MUSÆO DN. PRÆSIDIS.

BEROLINI,

Imprimebat GOTTHARD SCHELECHTIGER, Reg. ejusdemque
Societ. Scient. Typogr.

DISSERTATIONES
V I R O
MAGNIFICO, NOBILISSIMO,
AMPLISSIMO NEC NON
DOCTISSIMO DOMINO,
D O M I N O
L U D O V I C O
S E N N I N G,
SEREN. AC POTENT. REGIS
BORUSSIÆ CONSILIARIO CA-
MERÆ QUÆ BEROLINI EST GRAVISSIMO,
PARITERQUE CONSULI IBIDEM
DIGNISSIMO, &c.
D O M I N O E T P A T R O N O S U O
D E V O T E C O L E N D O,

A DEO OPTIMO MAXIMO, cœlesti PATRE, per
JESUM FILIUM ipsius unigenitum, omnem felicitatem
& benedictionem, in primis SPIRITUS S. lumen, ex quo
solum genuina prudentia huic & alteri vitæ necessaria hauritur,
uberrima mensura precatur, & hanc Dissertationem in sui
suorumque studiorum commendationem

Humillime offert

Christ. Ernest. Simonetty.



PARTIS GENERALIS LOGICES

LIB. II.

DE

EXAMINE ENUNCIATIONUM.

CAP. I.

DE

ENUNCIATIONIBUS IN GENERE
EARUMQUE PARTIBUS.

I. ENUNCIATIO est * oratio logica, constans ex
subjecto & prædicato, simulque aut affirmans aut
negans aliquid.

A 2

II. PAR-

RESPOND.
Christ.
Ernest.
Simonet-
ty.
Opp.

* ENUNCIATIO est oratio Logica: ergo datur adhuc alia oratio, quæ non est
stricte sic dicta enunciatio, e. g. Effatum imperativum; abi domum. Hortato-
rium: discite puer virtutem. Consolatorium &c. Sunt quidem orationes, non
autem logicæ. Pariter enunciatio differt a propositione. Illa enim est oratio
Logica nondum Syllogisum ingressa, hæc autem jam est ingressa Syllogisum,

Heinr. L.
de Cölln.
Ph. Aug.
Martini.

II. PARTES ENUNCIATIONIS sunt SUBJECTUM & PRÆDICATUM. *

III. SUBJECTUM est illud, de quo aliquid enun-
ciatur.

IV. PRÆDICATUM est illud quod enunciatur de alio.
e. g. Christus est verus Deus. Abrahamus est pater fide-
lium. Salomo est Rex sapiens. In prima enunciatione
Christus est subjectum, quia de hoc enunciatur aliquid, &
est verus Deus, est prædicatum, quia hoc dicitur vel enun-
ciatur de Christo.

V. His partibus enunciationis additur copula EST,
SUNT, FUIT, qua copulatur subjectum cum
prædicato. Et hæc (α) pertinet ad prædicatum, & non
peculiaris pars est enunciationis. (β) Non cadit in copu-
lam tropus, sed semper propriam in enunciatione suam ob-
tinet significationem.

CANONES.

I. Ut res sunt ita debent enunciari. sc. de jure licet
hoc non fiat de facto.

II. Ta-

* PARTES enunciationis sunt vel materiales, ut subjectum & prædicatum, vel
formales, ut sunt signa qualitatis & quantitatis, aut certæ particulæ, quæ fa-
ciunt ut quis sciat qualis enunciatio hæc vel illa sit, negativa, universalis, par-
ticularis, conditionalis &c. e. g. Omnes electi permanent in vera fide usque
ad finem vitæ. Ubi partes materiales sunt, electi (subjectum) & permanent
in vera fide usque ad finem vitæ (prædicatum.) Vox omnes autem facit ut hæc
enunciatio sit universalis, hinc est pars formalis hujus enunciationis. Saurius
in Syst. log. p. 233. bene distinguit alias inter partes principales enunciationis,
quæ sunt Subjectum & Prædicatum, & inter partes minus principales, quæ sunt
Syncategoremata in enunciatione, signa quantitatis, particulæ modales, exponi-
biles omnesque determinaciones Subjecti & Prædicati.

II. Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse a suis subjectis. Quare Subjectum non semper permittit ut proprie sumatur prædicatum, improprie ergo hocce tunc sumendum est.

CAP. II.

DE QUALITATE ENUNCIATIONUM.

I. Ratione qualitatis enunciatio dividitur in AFFIRMATIVAM & NEGATIVAM.

II. AFFIRMATIVA * est, quæ dicit prædicatum convenire subjecto, e. g. Deus est creator hujus universi. Christus est Redemptor omnium hominum.

III. NEGATIVA ** est quæ dicit prædicatum non convenire subjecto, e. g. Angeli non sunt adorandi. Papa non est infallibilis.

A 3

CA-

* Affirmatio alia pura & alia impura est. Prior est cujus termini omnes sunt affirmativi, e. g. Fides in Christum est medium Salutis nostræ ex parte nostri. Posterior est, quæ habet quidem terminum negativum, non tamen is removet prædicatum a subjecto, e. g. Id quod non ex fide est, peccatum est.

** Negatio alia formalis & alia virtualis est. Prior est quando aperte per particulas negantes removetur subjectum a prædicato, e. g. Lex moralis a Christo quoad obedientiam non est abrogata. Posterior autem est quando termini exceptivi, exclusivi & similes adhibentur in enunciatione, qui habent vim negandi, e. g. Solus Deus per essentiam est immortalis, h. e. qui non est Deus, per essentiam non est immortalis.

CANONES.

- I. Duæ negationes, * in eundem terminum cadentes apud latinos habent vim affirmandi, e. g. Non nulli regeniti sunt electi, h. e. Quidam regeniti sunt electi.
- II. Unius positio ** non est alterius negatio, e. g. Licet ponamus, Angelos esse immortales, non tamen negamus ideo homines ratione animæ etiam esse immortales.
- III. Unius negatio non est statim alterius affirmatio, e. g. Paries non est albus. E, est niger. Non valet, forsitan est ruber.

CAP. III.

DE QUANTITATE ENUNCIATIONUM.

- I. ENUNCIATIO ratione quantitatis (1.) est UNIVERSALIS, (2.) PARTICULARIS, (3.) INDEFINITA, & (4.) SINGULARIS.

II. ENUN-

* Aliter autem res sese habet tam apud Græcos quam Germanos, ubi duæ negationes fortius negant, e. g. Act. 4. 12. και οκ εστι ενάλλω εδενι η σωτηρία, &c. Conf. Joh. 15. 5. Luc. 20. 23. Germani dicunt: Es ist fast keine Liebe und Treue nicht mehr unter den Menschen zu finden.

** Valet hic Canon, ut & tertius, in oppositis mediatis, quæ tertium admittunt, non autem in immediatis, quæ tertium non admittunt, e. g. Recte dico: Deus est infinitus E. non est finitus. Vel Pontifex Romanus non est infallibilis E. est fallibilis.

II. ENUNCIATIO UNIVERSALIS est, quæ signo universali constat, & prædicatum in omnia inferiora quæ sub subjecto continentur distribuit, e. g. Omnis liber canonicus est a Deo inspiratus. Omnes homines sistuntur coram tribunali Dei. *

III. Signa universalia sunt : Omnis, omne, quisquis, quicquid, quodcumque, quicumque, nullus, a, um, nemo, &c.

IV. ENUNCIATIO PARTICULARIS est, quæ signo particulari constat, & prædicatum de aliquibus tantum subjectis enunciat. e. g. Quidam Angeli defecerunt a veritate concreata. Pauci homines sunt electi.

V. Signa particularia sunt : Quidam, pauci, non omnes, nonnulli, &c.

VI. ENUNCIATIO INDEFINITA est, quæ prædicatum de subjecto enunciat sine signo universali & particulari, neque individuum pro subjecto habet, e. g. Homo ad imaginem Dei est creatus. Angeli boni in sanctitate jam sunt confirmati.

VII. ENUN-

* Ad enunciationem universalem requiritur. (α) Ut subjectum habeat signum Universale, e. g. Omnis homo a Deo conservatur. (β) Ut prædicatum etiam applicari possit omnibus inferioribus, quæ latent sub subjecto, e. g. Si omnis homo conservatur, E. & Petrus, Paulus, Johannes, &c. (γ) Hinc distributio hic intelligenda in singula generum, & partic. omnis sumenda est für alle und jede / non autem in genera singulorum, ut part. omnis idem notet ac allerley / e. g. Omnia animalia fuerunt in arca Noæ, h. e. Allerley Thiere waren in der Archen Noæ. (δ) Non partic. omnis reddit enunciationem universalem, quando est pars subjecti, e. g. Omnis scriptura est sufficiens ad salutem h. e. tota Scriptura. Quando additur casui obliquo, e. g. Omnis hominis pes alter est dexter. Quando sumitur collective, e. g. Omnes Apostoli sunt duodecim. Quando sumitur Synecdochice pro majori parte, e. g. Omnis Judæa exivit ad Johannem.

VII. ENUNCIATIO SINGULARIS est quæ loco subjecti habet individuum, e. g. Abrahamus est pater fidelium. David est vir secundum cor Dei, *

CANONES.

- I. Propositio vere universalis non est, nisi distributio Prædicati fieri possit inter ea quæ sub subjecto latent, e. g. Quicquid ex carne natum est (sc. secundum ordinariam naturæ viam) caro est. Joh. 3. 6. E. hic, iste, ille, &c. homo caro est.
- II. Quando universaliter aliquid de subjecto singulari prædicatur, excipitur a prædicato subjectum, e. g. Pater subjecit omnia Filio suo E. etiam semet ipsum N. V. C. hinc excipitur Pater, vid. 1. Cor. 15. 27.
- III. A particulari ad universale N. V. C. sc. in materia contingenti: ut quidam homo est regeneritus E. omnes, N. V. C. in materia autem necessaria valet, e. g. quædam stellæ lucent. E. & omnes.

CAP. IV. DE SPECIEBUS ENUNCIATIONUM, DE MODALIBUS.

I. ENUNCIATIO vel est SIMPLEX, quæ sine conjunctione aliqua unum subjectum unumque præ-

* Agunt hic etiam nonnulli (1.) de suppositione, quæ est vel materialis, quando vox quædam sumitur pro literis & syllabis, vel formalis, quando vox sumitur pro sensu & significatione vocis, (2.) De ampliacione & statu, ubi prius diversum tempus, posterius autem idem tempus dicit, in quo prædicatum subjecto convenit, e. g. Matth. XI. 6. Cæci vident &c, ubi vox cæci sumitur in ampliacione sc. qui fuerunt cæci, vident,

prædicatum habet, & dicitur CATEGORICA,
e. g. Deus est omniscius. Terra est rotunda. Vel est
COMPOSITA, de qua infra. *

II. SIMPLEX ENUNCIATIO est vel INDETERMINATA & ABSOLUTA quæ simpliciter sine modo aliquid dicit de subiecto, e. g. Moses est fidelis servus Domini. Vel est DETERMINATA cum modo, & dicitur MODALIS: vel cum partic. exponibili, & dicitur EXPONIBILIS.

III. MODALIS est quæ dicit prædicatum subiecto inesse vel non inesse cum certa aliqua modi determinatione, e. g. Deus necessario est sanctus.

IV. Modi sunt quatuor, NECESSE, CONTINGENS, POSSIBILE & IMPOSSIBILE.

CANONES.

I. Qui negat modum ** necesse, vel contingens, non absolute negat dictum in modali enunciatione contentum, e. g. Necesse est filium Doctoris medicinæ fieri
B Me-

* Huc etiam refertur enunciatio secundi adjecti, e. g. Deus est, homines sunt. Et tertii adjecti, e. g. Deus est Justus. Homines sunt creaturæ Dei. De his noti sunt canones: Ab est secundi adjecti, ad est tertii adjecti N. V. C. sed ab est tertii adjecti, ad est secundi adjecti V. C.

** Duo Ergo observanda sunt in enunciationibus modalibus, (α) Dictum, & (β) Modus, e. g. Possibile est hominem irrogenitum fieri regenitum. Ubi Dictum est oratio absoluta, irrogenitus sit regenitus. Modus autem est determinatio orationi absolutæ adjecta rō possibile.

Medicum. Ubi non negatur, quod filius Doctoris med.
fiat medicus, sed tantum $\tau\delta$ necesse, siquidem hoc tantum
fil contingenter.

- II. A posse ad esse non valet consequentia, e.g. Potest
esse pax in Germania, in Hungaria &c. Sed non statim
actu est.

CAP. V.

DE ENUNC. EXPONIBILIBUS.

I. ENUNCIATIO EXPONIBILIS est, quæ ob
suam difficultatem, ex certis particulis ortam, indi-
get expositione. Et est quadruplex, EXCLUSI-
VA, EXCEPTIVA, RESTRICTIVA, & COM-
PARATIVA.

II. EXCLUSIVA * est quæ propter particulam exclu-
sivam eget expositione. Sunt autem particulæ excl.
Solus, unicus tantum duntaxat, usque, donec, pauci &c.
e.g. Solus Deus est adorandus. Solus homo inter creatu-
ras in terra est rationalis.

III. EXCEPTIVA ** est, a cujus subiecto vel præ-
dicato

* Exclusiva est alia exclusi subiecti, quæ excludit plura subiecta a participatione
ejusdem prædicati, e.g. Solus Deus est æternus, E. non alius quicumque etiam
is sit, participat, de hoc prædicato sc. de æternitate. Alia est exclusi prædicati, quæ
excludit plura prædicata a subiecto. e.g. Sacramenta N. T. tantum duo sunt, E.
non tria, septem, &c.

** Exceptiva alia est de excepto subiecto, quando aliquid de subiecto excipitur,
cui non competit prædicatum. e.g. Omnis homo præter Christum est peccator.
E. Christus non est peccator. Alia est de excepto prædicato, quando de prædi-
cato aliquid excipitur, quod subiecto non competit. e.g. Christus nobis per omnia
factus est similis præter peccatum, E. veram habuit animam, verum corpus &c.
tantum non peccatum, hoc ab ipso removetur.

dicato aliquid excipitur mediante particula exceptiva. Tales particulae sunt. Præter, Nisi, excipe, præterquam sine &c. Omnis homo præter Christum peccavit. Omnes homines præter Adamum & Evam sunt generati.

IV. RESTRICTIVA est, quæ per particulam restringentem prædicatum subjecto attribuit. Particulae restringentes sunt, quæ, quatenus. Secundum, juxta, in quantum, quoad &c. e.g. Corpus, quatenus materiale est, est quantum. Christus in quantum est Filius Dei, ab æterno genitus est.

V. ENUNCIATIO RESTRICTIVA duplex est, REDUPLICATIVA & SPECIFICATIVA. Prior est, quando iteratur subjectum vel particula restringens indicat causam, e.g. Deus quia Deus mentiri nequit. Posterior est cum particula certam partem vel rationem indicat, juxta quam prædicatum convenit subjecto, e.g. Homo quatenus pedes (sc. mancos ac vitiosos) habet, claudicat.

VI. COMPARATIVA * ENUNC. est, in qua prædicatum de Subjecto dicitur in collatione & respectu ad aliud, cui illud magis vel minus competit. e.g. Vinum est præstantius aqua.

B 2

CA-

* Distingunt nonnulli admodum bene inter comparisonem formalem & materialem. Prior est ubi explicite habetur particula compar. e.g. Melius est numerare quam urere. Posterior est ubi in sensu latet particula. e.g. Misericordiam volo & non sacrificia h. e. Misericordiam magis volo quam sacrificia. Alias Deus apud Hof. 6, 6. plane non removet vel improbat sacrificia, sed tantum dicit quod potius delectetur misericordia, quam sacrificiis.

CANONES.

- I. **Exclusiva non quodvis excludit, sed quod est extraneum & alienum, e. g.** Quando dico sola fides justificat, non excluditur Deus, ejus misericordia, meritum Christi, sed tantum bona Opera, quæ opponuntur fidei in articulo de justificatione.
- II. **Exceptiva universaliter negans, exclusive affirmat rem exceptam, h. e.** Ab exceptione negativa ad exclusivam affirmativam, & ab hac ad illam, firmissima est consequentia, e. g. non nisi Deus est æternus. E. Solus Deus est æternus, & reciproce.
- III. **Multa videntur absolute dicta, quæ tamen comparate sunt intelligenda, e. g.** Ego missus sum, inquit Apostulus, ad evangelizandum a Christo, & non ad baptizandum, 1. Cor. 1, 17. quæ verba videntur absolute dicta, cum tamen comparate sunt intelligenda, h. m. magis vel potius missus sum ad evangelizandum, quam ad baptizandum.

CAP. VI.

DE ENUNCIATIONIBUS COMPOSITIS.

- I. **ENUNCIATIO COMPOSITA** est, quæ ex aliis enunciationibus, per aliquod vinculum coherentibus, componitur.
- II. **ENUNC. COMP.** triplex est (1.) **CONDITIO-
NALIS**, (2.) **COPULATIVA**, & (3.) **DIS-
JUNCTIVA**.
- III. **CONDITIONALIS** est, in qua plures enunciations conjunguntur per particulas si, nisi, e. g.
Si

Si Christus resurrexit, & nos resurgemus. * Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnū cœlorū

IV. COPULATIVA ENUNCIATIO ** est quando plures enunciationes connectuntur per partic.

&, atque &c. e. g. Credit Abrahā Deo, & imputatū est ei ad justitiam. Deus est verax, & omnis homo mendax.

V. DISJUNCTIVA est, in qua plures enunciationes connectuntur per part. aut, vel, &c. e. g. Spiritus aut bonus, aut malus est. Liber biblicus vel canonicus, vel apocryphus est.

CANONES.

I. Conditio impossibilis habet vim negandi, e. g. Si leves pascentur in æthere cervi, tui obliviscar, h. e. nunquam tui obliviscar.

II. Copulationum partes omnes veræ sint, necessum est, e. g. Christus & verus Deus, & verus homo est.

III. Disjunctiva enunciatio non disjungit, nisi opposita, e. g. Aut fide justificamur, aut B. Operibus. Hic B. Opera opponuntur fidei.

CAP. VII.

DE AFFECTIONIBUS ENUNCIATIONUM, DE OPPOSITIONE ET ÆQUIPOLLENTIA ENUNCIAT.

I. OPPOSITIO enunciationum est pugna, qua duæ

B 3

enun-

* Conditionalis dicitur alias hypothetica enunciatio, quæ præmittit antecedens, & deinde ponit consequens, e. g. Si fueris felix (est antecedens) multos numerabis amicos (est consequens.) Alias antecedens sine consequente nihil ponit. Rhe-nius in log. monet, interdum conditionem tantum subintelligi, ut Adhuc dies 40. sunt, & Ninive evertetur, Jon. 3. 4. sc. nisi egerit pœnitentiam; ut adeo tota propositio sit: Si Ninive non egerit pœnitentiam, intra Dies 40. evertetur.

* Copulativa (1.) vel unī subiecto tribuit plura prædicata, e. g. Deus impios damnat & pios salvat. (2.) Vel unum prædicatum pluribus subiectis, e. g. Nox & amor vinumque nihil moderabile suadent. (3.) Vel multa subiecta multis prædicatis, e. g. Et Verbum & Sacramenta regenerant, justificant & renovant.


enunciationes, iisdem plane terminis constantes inter se pugnant, ita ut una affirmet & altera neget.

II. **OPPOSITIO** * est triplex (1.) **CONTRARIA**, qua universalis affirmans opponitur universali neganti, e.g. Omnes homines sunt peccatores. Nulli homines sunt peccatores. (2.) **CONTRADICTORIA**, qua universalis affirmans opponitur particulari neganti. Vel universalis negans opponitur particulari affirmanti. e. g. Omnis a Deo natus non peccat. Quidam a Deo natus peccat. (3.) **SINGULARIS**, qua una singularis enunciatio opponitur alteri, e.g. Johannes Evangelista fuit discipulus Christi. Johannes Evangelista non fuit discipulus Christi. **

III. **ÆQUIPOLLENTIA** est convenientia duarum enunciationum ratione qualitatis & quantitatis. e.g. Non omnes homines sunt electi. Quidam homines non sunt electi. IV.

* Oppositio alia est *κατὰ λέξιν μόνον* vel apprens, qua una alteri enunciationi tantum apparenter opponitur, e. g. Quidam homines sunt divites. Quidam homines non sunt divites. Vel *κατ' ἀλήθειαν* f. vera, qua una enunciatio alteri opponitur vere, e.g. Omnis homo est peccator. Nullus homo est peccator. Ad veram oppositionem requiruntur duo. (1.) Diversitas qualitatis, i.e. pugna secundum affirmationem & negationem, (2.) Identitas tum vocis, tum significationis, tum respectus, tum modi, tum temporis.

** Nonnulli logici adhuc faciunt sub contrariam oppositionem & subalternam, quas autem Saurius ad h.l. rejicit. Proponitur alias quadruplex oppositio sub hac figura.



Ubi A. est universalis Affirmans, E. Universalis negans, I. part. affir. & O. part. neg.

IV. Signa quæ consti. proposition. æquipollentes sunt :

Non omnis (idem est ac) quidam non : omnis non
est quasi nullus

Nonnullus (idem est ac) quidam : Sed nullus non
valet omnis

Non aliquis (idem est ac) nullus : non quidam
non, valet omnis.

Non alter (idem est ac) neuter : neuter non præ-
stat uterque.

CANONES.

I. Contrariæ enunciationes in materia contingenti si-
mul falsæ esse possunt, at nunquam simul veræ. e.g.
Omnis homo est sanctus. Nullus homo est sanctus. Utraq;
enunciatio est falsa, dantur enim quidam, qui in Christo per
fidem sunt sancti, & etiam inhærentem quandam sanctita-
tem habent.

II. Impossibile est, duas contradictorias enunciatio-
nes simul esse veras aut falsas. Reperitur enim inter
has acerrima pugna. e.g. Omnis homo secundum ordina-
riam viam productus, est peccato inquinatus ; Si hæc enun-
ciatio vera est, uti est, necessario sequitur quod hæc falsa sit :
Quidam homo secundum ordinariam viam productus non
est peccato inquinatus.

CAP. VIII.

DE CONVERSIONE ET CONSECUTIONE ENUNCIATIONUM.

I. CONVERSIO ENUNCIATIONUM est, cum
salva veritate extrema transponuntur, ut ex subje-
cto fiat prædicatum & vice versa.

II. CONVERSIO est triplex, (I.) SIMPLEX, in qua
uni

universalis negans & particularis affirmans simpliciter convertuntur, ut ex subjecto fiat prædicatum, & ex prædicato subjectum, e. g. Nullus bonus angelus est malus angelus. Nullus malus angelus est bonus angelus. Quidam Propheta est ex pauperibus parentibus natus. Quidam ex pauperibus parentibus natus est Propheta. (2) Per ACCIDENS, in qua universalis affirmans convertitur in particularem affirmantem. e. g. Omnis Doctor Theologiæ habet facultatem docendi Theologica. E. Quidam habens facultatem docendi Theologica, est Doctor Theologiæ. (3.) Per CONTRAPOSITIONEM, in qua universalis affirmans convertitur in universalem negantem, sed cum subjecto infinito, e. g. Omnis tulipa est flos. E. quicquid non est flos, non est tulipa. Vel in qua particularis negans convertitur in particularem affirmantem, sed cum subjecto infinito. e. g. Quidam opifex non est sartor. E. Quidam non sartor est opifex.


III. CONSECUTIO ENUNCIATIONUM est, qua una ex altera sequitur, e. g. Omnis justificatus a Deo habet remissionem peccatorum, E. David justificatus, Paulus &c. etiam habet remissionem peccatorum.

CANONES.

I. A convertente ad conversam valet consequentia, e. g. Nullus falsus Propheta est a Deo missus, E. nullus a Deo missus est falsus Propheta.


II. Ab hypothetica ad suam simplicem in qua fundatur valet consequentia, e. g. Si Pauli epistolæ a Spiritu S. sunt inspiratæ, sunt libri Canonici. E. omnes libri a Sp. S. inspirati, sunt libri Canonici.

III. A per se ad de omni V. C. e. g. Homo per se est rationalis, risibilis, E. omnis homo est rationalis, risibilis.



Verfertigt
von
L. A. GARBÉ
Rostock
Breite Str. 25.





the scale towards document

...i, nemo enim nostratium negavit sæpe Scri-
obscuram, modo non iniis, quæ necessaria
em.

principii est, cum idem per idem, incer-
que incertum probatur. e. g. Terra mo-
circumagitur. Pythagorica vera sunt, quia *av-*
pa infallibilis est, quia non errat.

consequentis est, quando ex antece-
se infertur consequens. e. g. Fides justi-
sunt facienda B. O. Fur noctu oberrat, nec
E. qui noctu oberrat, fur vel adulter est.

* secundum non causam ut causam est,
sa apparens & per accidens confun-
vera causa. e. g. Petrus insomnes ducit no-
nimis nummatus. Deus permittit ut homo
eius est peccati causa.

olurium interrogationum * est, cum
rsæ quæstiones in una complicantur, ad
potest categorice responderi. e. g. Estne
aria adoranda? Hæc quæstio neque simpli-
da neque neganda est, sed primo separan-
ctum, & deinde ad prius pertinet affirmatio,
is negatio.

CANO-

exemplum: Deus prævidit Adamum lapsurum. E. necessario
en Dei prævisio non est causâ lapsus, sed abusus liberi arbi-
Diaboli.

tionibus miscentur, (1) quoties subjecta plura non subordinata
unum prædicatum enunciatur. e. g. Estne corpus & anima
(2) Cum de eodem subjecto diversa prædicata dicuntur, e. g.
Deus, & iuste a Pilato crucifixus?